Clariſsimo quondam THEOPHILO GOLIO, tam neceſſariam operam eſſe navatam; ſed in noſtris etiam perplurimum eam commodaſſe: Tot enim exemplaria, tot annis, tot locis, & non ex uno duntaxat Typographéo, prodita feliciſsimè, & cum inſigni literariæ Juventutis fructu detrita ſunt. Quò fit etiam, ut horno recens ejus inſtauretur Reviſio, quam Bibliopola Diſcentium causâ cupiens à me petiit, cui bonum hoc publicum excuſare, ſeu remorâ quapiam ſuſpendere, id verò illaudabile viſum fuit. Ideoq; dum morem non indecora poſtulanti gero, principio geminum Indicem ſingularum vocum, non ſine temporis impendio, ſtipavi; quo diſcentes utantur ad vadum præexercitaminum puerilium, quæ circumſpectus Pædonomus inſtituet: